

nativitatis epiphaniae resurrectionis ascensionis et corporis domini, ac nativitatis et assumptionis beatae Mariae, necnon Johannis baptistae et apostolorum Petri et Pauli praedictorum festivitatum octavis et per sex dies dictam festivitatem pentecostes immediate sequentes praefatam capellam devote visitarent annuatim, et ad conservationem huiusmodi manus porrigerent adiutrices, singulis videlicet festivitatum et celebritatis tres annos et totidem quadragenas, octavarum vero et sex dierum praedictorum diebus, quibus capellam ipsam visitarent et adiutrices manus porrigerent ut praefertur, centum dies de iniunctis eis poenitentiis voluit et concessit dicta die videlicet III. Kal. Septembr. misericorditer relaxari. Voluit etiam idem praedecessor, quod si alias dictam capellam post consecrationem huiusmodi visitantibus vel ad ipsius fabricam seu huiusmodi conservationem manus adiutrices porrigentibus, vel alias inibi pias elemosynas erogantibus, aut alias aliqua alia indulgentia in perpetuum vel ad certum tempus nondum tunc elapsam duratura per eundem praedecessorem concessa foret, voluntas et concessio praedictae nullius essent roboris vel momenti. Ne autem pro eo, quod super voluntate et concessione huiusmodi dicti praedecessoris superveniente obitu litterae apostolicae confectae non extiterunt, voluntas et concessio supradictae suo frustrentur effectu, volentes et auctoritate praedicta decernentes, quod voluntas et concessio praedictae perinde a dicta die videlicet III. Kal. Septembris sortiantur effectum, ac si super eis dicti praedecessoris litterae sub ipsius diei dato confectae fuissent prout superius enarratur, quodque praesentes litterae ad probandum plene voluntatem et concessionem huiusmodi ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur, fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatinus omnibus vere poenitentibus et confessis, qui in festivitatum et celebritate ac per octavas huiusmodi capellam praefatam postquam consecrata fuerit visitaverint et manus adiutrices porrexerint ut praefertur, singulis videlicet festivitatum et celebritatis tres annos et totidem quadragenas, octavarum vero et sex dierum praedictorum diebus, quibus capellam ipsam visitaverint ut praefertur, centum dies de iniunctis eis poenitentiis iuxta voluntatem et concessionem antedictas eadem auctoritate relaxes. Datum Romae apud sanctum Petrum III. Idus Novembris pontificatus nostri anno primo.

R^{ta} gratis.

T. Reseler.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit dem Bleisiegel an hänfener Schnur.

No. 777. 1405. 19. Jan.

B. Thimo bearkundet, dass Steph. Moir, Canonicus in Wurzen und Vicar in Meissen sogen. Bischofszehnten in einigen Dörfern bei Grossenhain gekauft habe, und eignet diesen auf Bitten des Käufers der Domkirche und dem Kloster zum h. Kreuz zu einem Seelgeräthe.

In nom. s. et ind. trin. amen. Nos Thimo dei et apost. sedis gratia episcopus Misnensis notum facimus — quod honorabilis vir dominus Stephanus Moir canonicus Wurczinensis et perpetuus vicarius ecclesiae Misnensis — rite emit et realiter comparavit decimam, quae vulgariter nuncupatur decima episcopalis in villis et pago